Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 611
Quelle:
Copyright:

CXCVII. VII. A. 44.

722 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 69. 4. nitide exaratus, olim *Germani Brixii* sive *de Brice Antissiodor.* Canonici *Paris.* perquam eruditi, qui anno 1538. diem clausit, dein *Joh. Sambuci*, complectitur: I. *Librum magni Basilii ad iuuenes et religiosos per Leonardum Aretinum ex greco in latinum traductum*, qui alias *de Liberalibus Studiis et ingenuis Moribus*, item *de legendis Libris Gentilium* inscribitur, cum Praefatione Interpretis ad *Colutium Salutatum*, de quo Opusculo diximus *Cod.* praeced.

II. *fol.* 18. Ejusdem *Leonardi Bruni Aretini de Temporibus suis Librum*, cujus initium: *Qui per Italiam homines excelluerunt etate mea* &c. et finis: *cum ingenti gloria et exaltatione ciuitatis.* Si *Muratorium* audias, qui Opusculum istud T. XIX. *Scriptt. Rer. Ital. Mediol.* 1731. *col.* 913. f. denuo inseruit, primus illud prelo typographico subjecit *Lugduni* 1539. *Annib. Crucejus*; verum pace magni Viri, praeter Editionem *Venet.* 1483. 4. e Bibl. S. *Michaelis* prope *Murianum* prolatam a *Mittarellio*, *Venetas* alias 1475. et 1485. 4. et *Florentinam* 1488. 4. indicat *Mazzuchellius* in *Scriptt. Ital. Vol.* II. P. 4. p. 2205. qui tamen, nescio quo indice, nixus Opusculum in II. *Libros* dividit, cum et in Editione *Murat.* et in *Cod.* nostro continenter decurrat.

CXCVIII. VII. D. 19.

Codex membraneus lat. Sec. 257
ut videtur, XI. Folior. nunc 96. f. luculente exaratus continet *Orationes IX. Gregorii* a patria dicti *Nazianzeni*, a *Sasimorum* et *CPoleos* episcopatu ad vitam privatam reversi, mortuique a. 389 — 91. viri elegantis ingenii et splendidae eloquentiae, quas *Rufinus* Presbyter *Aquilejensis* Sec. ut putem, eodem in gratiam *Aproniani* cujusdam latinitate donavit. Initium facit sequens Distichum:

Suscipe Sancte tui munus benedicte Georgii.
Quod sibi persoluas in celis nunc ubi regnas.

Georgium hunc Coenobitam *Benedictinum* habeo, qui Patriarchae suo hoc pensum scriptorium obtulit. Sequitur: *In hoc libro continentur libri apologetici* (Primus tantum apologeticus est) *Sancti Gregorii nazanzeni episcopi numero nouem.* Et paullo infra litera unciali purpurea: *Incipit Liber Primus Apologeticus Sancti Gregorii Nazanzeni Episcopi.* Idem repetitur *fol.* verso. Tum Liber, quo caussas exponit, cur Presbyter factus in *Pontum* fugerit, et denuo *Nazianzum* redierit, hoc initio: *Victus sum. et fateor*